

ceperunt ut ex eorum commentariis apparet: similesque casus obsessionis etiam post Christi et Apostolorum aetatem aliquando evenisse testantur, et quidem ita ut ad paganorum testimonium confidenter appellent; ut ex. gr. Tertullianus qui in c. 23 Apologetici ita urgebat Paganos: « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet; iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso... Iam ergo subiecta Christianis divinitas vestra; » et ante illum Irenaeus adv. haer. II, X, 32, loquens de charismatibus quibus fideles saepe instructi erant: « Alii, inquit, daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi qui emendati sunt a spiritibus immundis, et sint in Ecclesia » (Patr. Gr. tom. VII, col. 829). Alia testimonia congerit Bergier in opere cui titulus: *La certitude des preuves du Christianisme*, 1<sup>re</sup> partie chap. V. Aut igitur fides omnino neganda est omnibus scriptoribus, aut diabolicae obsessiones ut verae habendae.

Nec quidquam valent ad contrarium demonstrandum rationes ab adversariis superius allatae.

Sane 1<sup>o</sup> Nulla absurditas inducitur per veram diaboli possessionem, tamquam si in uno eodemque individuo duo contraria operationum principia ponerentur. Adversarii enim non intelligunt diaboli possessionem esse aliquid omnino diversum ab hypostatica unione, haec enim intima omnino est et ad intimum operationum principium pertinet, illa vero tota extrinseca est, unionem constituens mere accidentalem, ut inter motum et motorem, et externas corporis actiones directe respicit, internas autem tantum indirecte, quatenus nempe diabolus per potestatem quam exercet in corporis membra et in sensus patientis potest etiam animae facultates impedire, earumque operationes perturbare. Manet igitur semper unum dumtaxat intimum operationum principium.

2<sup>o</sup> Nec repugnat divinae providentiae ac sapientiae daemonum possessio. Tunc enim repugnaret si contra Dei voluntatem, aut sine eius permissione possent mali spiritus haec perficere, quod tamen omnino falsum est. Illi enim tantum valent quantum a Deo efficere permittuntur, quod ipsi in citatis Evangelii locis fatentur cum Christi virtutem metuentes ab illo poscunt ne eos et corporibus obsessis exire compellat. Causae vero cur Deus haec aliquando permittat, quamvis non sint curiosius investigandae, saepe tamen sufficienter

innotescent. Aliquando enim in poenam quorundam criminum diabolica possessio a Deo permessa est, ut Sauli videtur contigisse, et incestuosos Corinthios, et aliis pluribus de quibus ecclesiastica narrat historia. Aliquando vero ad virtutum iustorum exercendam, qui durissima hac tribulatione probantur, ut in patientia ac humilitate quam maxime proficiant, ut ex. gr. Beatae Eastochio contigisse legitur. Semper vero ad Dei gloriam pertinet potestas quam eius ministri in hisce casibus adversus daemonem exercent, quod etiam ad Ecclesiae veritatem probandam, et honorem ac reverentiam eidem conciliandam apprime conducit.

3<sup>o</sup> Frustra vero obiciunt adversarii inverosimile esse tam frequentes fuisse aetate Christi apud Iudaeos Daemonum obsessiones cum nihil tale apud alias gentes occurrat. Etenim imprimis falsum est obsessionum exempla apud alias gentes non occurrere. Sane ea quae a profanis scriptoribus narrantur de *furiis*, quas Graeci *Eumenides* vocabant, et quibus saepe homines correptos fuisse et agitato dicunt nihil aliud esse videntur quam diabolicae invasiones: quae quidem tam frequentes aliquando evaserant ut Athenienses templum dedicaverint ad eas effugiendas, teste Tullio in lib. III de natura Deorum; Romani autem lucum ob eandem causam in Latio consecraverint, qui *Furinae* dicebatur. Idem etiam factum diabolicae obsessionis significari videtur a Latinis per homines *Larvatos*, seu a malis genii obsessos, per *Cerritos* quasi *Cereritos*, seu a Cerere agitato (1), item per *Pythones* vel *Pythias*, homines scilicet ab Apollinis spiritu afflato et energumenorum more furentes qualis est illa quae a Virgilio in lib. VI Aeneidos describitur, dum Aeneae responsa daret

- « . . . . . Cui talia fanti  
 » Ante fores subito non vultus, non color unus,  
 » Non cometae mansere comae; sed pectus anhelum,  
 » Et rabie fera corda tument, maiorque videri,  
 » Nec mortale sonans, afflata est numine quando  
 » Iam propiore Deo . . . . . »

Atque idem dicendum est de coeteris, qui aliorum Deorum vel Dearum spiritu agitabantur: omnes enim *Dii gentium daemonia*.

(1) Vide Testimonia Festi, Nonni, Plauti aliorumque in lexico Forcellini ad voces *Cerritus*, et *Larvatus*.



Etiam Plutarchus in lib. *de fluviis* (περι ποταμων) de daemonicis mentionem facit. Narrans enim fabulam de origine Nili fluminis scribit: « Producitur in eo lapis fabae speciem referens, quem statim ac canes viderint non allatrant (1). Iuvat etiam a daemone possessos (τους δαιμονιζουένους); ubi enim admotus est naribus expellitur subito daemonium. »

Si vero frequentiores huiusmodi obsessiones apparent apud Iudaeos aetate de qua loquimur, id mirum esse non debet. In primis enim diabolus cum Ethnicorum animis et cordibus imperaret, et cultum ab iis reciperet minus sollicitus erat de eorum corporibus torquendis, idque potius contra Hebraeos praestare adamabat, qui verae religionis custodes erant, et idolorum cultum detestabantur. Deinde maiorem ei licentiam contra Iudaeos Dominus concesserat ob sapientissimos suae providentiae fines, ut nempe et malorum spirituum existentiam a Sadducaeis negatam stabiliret, et sensibili modo ostenderet se omnibus daemoneis potentiorum esse, qui solo nutu ac imperio ea e corporibus expellere posset, et quocumque vellet ablegare, atque ita suaviter ac fortiter viam pararet ad idololatriam, seu diaboli regnum super terram, exterminandum.

4<sup>o</sup> Quod pertinet in specie ad daemonicum Gerasenum Marc. V, nihil prorsus in eius historia occurrit quod absurdum sit vel ridiculum. Sane ad numerum daemonum quod spectat si potest Deus uni ex iis permittit ut corpus hominis obsideat, cur non potuit etiam multis? Forte etiam mendacium vel exaggeratio ex parte daemonum adfuit cum se *legionem* appellarunt. Quod autem a Christo postulaverint ut eis permitteret in gregem porcorum ingredi mirum non est si attendatur eorum nocendi voluntas, ob quam expulsi ab hominis corpore cupiebant saltem animalibus obsesse, atque ita etiam dominis damnum inferre. Inepte autem adversarii putant non potuisse in regione illa ingentem porcorum numerum inveniri: aliud est enim quod Hebraeis vetitum esset eorum carnibus vesci, aliud quod non liceret eos pascere et custodire, puta ad illos vendendos et commercium cum aliis gentibus exercendum: praeterea regio Gerasenorum erat in superiori parte Palaestinae prope lacum Tiberiadis, ubi multi gentiles ex Phoenicia vel Syria oriundi com-

(1) Alludit ad fabulam quam antea recitaverat, scilicet Nilam Garmathae maritum ad Cerberi canis latratum in furorem actum se in flumen Aegyptium praecipuisse, quod exinde coepit ab eo *Nilus* vocari.

morabantur. Quid igitur si gregem illum ad paganos homines pertinuisse dicamus? Denique iustitiae aut sanctitati Christi Domini nequaquam repugnat licentia illa spiritibus malis concessa; siquidem cum esset rerum omnium Dominus potuit de hominum illorum substantia disponere quin cuiquam iniuriam faceret: ad hoc autem sanctissimis et gravissimis rationibus moveri potuit, sive ad gentis peccata puniendae, sive ad potentiam suam ostendendam, sive denique ut sensibili signo ostenderet quam terribilem inimicum ex eorum finibus expelleret atque ita de magnitudine beneficii ei collati persuasos eos redderet.

5<sup>o</sup> Frustra vero adversarii per morbos naturales explicare conantur facta illa daemonicorum in Novo Testamento relata. In primis enim circumstantiae nonnullae, quae similes sunt illis in furiosis vel epilepticis observatis, paucis tantum in casibus leguntur nempe in narratione citati daemonicam Geraseni Marc. V, et alterius descripti Marc. IX, in reliquis autem nihil huiusmodi occurrit. Deinde adversarii non attendunt alias circumstantias quae omnino diaboli praesentiam et obsessionem demonstrant, sive inspiciantur circumstantiae ex parte Christi sive ex parte daemonicorum: uti sunt ex. gr. quod Christus malos spiritus allocutus sit et increpaverit, isque vicissim responderit ut in primo ex citatis factis dicitur, et in aliis passim; item quod Christus adstantes de fidei defectu redarguerit (Marc. IX, 48), ac discipulis postea *secreto* revelaverit hoc genus (Daemoniorum *in nullo posse exire nisi in oratione et ieiunio* (vers. 28) et alia huiusmodi. Quod si adversarii omnino videatur in quibusdam daemonicis Evangelicis quorundam morborum symptomata occurrere non valde repugnabile, dummodo realis diaboli obsessio non excludatur. Quid enim prohibet quominus dicamus homines illos tum naturali, tum praeternaturali morbo simul correptos fuisse? Supponere enim licet vel diabolum ipsum illorum corporibus insidentem quosdam morbos ex vi illis illata produxisse, ita ut illi tum a diaboli obsessione tum ab eius physicis effectibus liberandi essent, vel etiam iis iam morbo aliquo laborantibus, tamquam subiectis naturaliter dispositis diaboli obsessionem supervenisse.

6<sup>o</sup> Quod vero per meras loquendi formulas Hebraeis usitatae omnia haec explicanda sint merum est adversariorum commentum. Falsum est enim apud Hebraeos morbos *daemonia*, vel aegrotos



*daemonicos* (δαμονιζομένους) appellatos fuisse, cum id nullis testimonis probari possit. Nec quidquam inuat adversariorum explanationem loquendi modus ab Evangelistis adhibitus cum de daemonicis scribunt: falsum est enim eos tamquam aegrotos exhiberi, quin imo saepe ab aegrotis accurate distinguuntur ut fit ex. gr. Marc. I, 34, ubi legitur quod Christus Dominus « curavit multos qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa eiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum, » idemque fit III, 10, 11, et clarius vers. 15, et Cap. XVI, vers. 17, 18 in quibus locis potestas eiicendi daemonia Apostolis concessa a potestate sanandi morbos distinguitur. Si vero aliquando simul cum aegrotis daemonicis nominantur non inde sequitur eos ut simpliciter aegrotos habitos fuisse, sed tantum in aliquo sensu quatenus non minus, imo magis quam illi infelices erant, ac divina Christi ope indigebant. Petrus vero omnes generatim homines a Christo liberatos dicere potuit *oppressos a diabolo*, vel quia speciatim ad daemonicos alludit, quorum liberatio evidentius praebebat virtutis Christi argumentum, vel quia multi etiam naturales morbi diabolo adscribi possunt saltem indirecte quatenus ex peccatis ad diaboli instigationem commissis oriuntur. Quod denique daemonicis *sanari*, vel *curari* dicantur non probat quod volunt adversarii: omisso enim quod huiusmodi loquendi ratio in plerisque locis non recurrit, ut Matth. IX, 33, 34; X, 8; VII, 22; Marc. VI, 13; VII, 26 et seq. et alibi passim, ubi e contra distinguitur *sanatio* aegrorum, et *eiectio* daemonicorum, hoc, inquam, omisso, sanandi vocabulum recte aliquando usurpari potuit etiam de daemonicis vel quia, ut diximus, cum diabolica obsessione morbus etiam naturalis saepe coniungebatur, vel quia sensu quodam latiori seu translato cuiusvis corporalis afflictionis remotio *sanatio*, vel *curatio* dici potest.

7° Impossibile vero est per meram *accommodationem* omnia illa explicare quae Christus et Apostoli de huiusmodi casibus dicunt. Siquidem Christus non solum quando cum ipsis daemonicis loquitur illas loquendi formulas adhibet, quae diaboli obsessionem indicant, sed etiam cum discipulis loquens, ut in citato exemplo Marc. IX, 27, 28 et alibi; item de *virtute eiicendi daemones* in genere sermonem habet ut in locis supra citatis, quibus aliisque similibus in casibus si Christus praeiudicium Hebraeorum confir-

masset ac veluti suum fecisset causam veritatis prodidisset, quod nefarium est cogitare.

Praeterea in laudata narratione daemonicis Geraseni diaboli praesentia ita evidens fit ut per meram patientis phantasiam et opportunitatem Christi accommodationem nunquam explicari possit: mali enim spiritus non modo loquuntur, et Christum obscant, eique respondent, sed externo etiam signo se manifestant cum in immunda animalia ingrediuntur, eaque *magno impetu praecipitant in mare* coram plurimis facti huius spectatoribus, cum interim homo a daemonicis liberatus, et in se reversus ad pedes Iesu sederet (Marc. V, 13, 15). Quapropter concludendum est aut laudatas narrationes falsas esse, quod absit dicere, aut eas veram ac realem diaboli obsessionem continere, quemadmodum Patres, et interpretes unanimi consensu tradunt, qui, ut superius innuimus, citata loca N. T. in sensu obvio atque literali semper intellexerunt (1).

#### THESIS XIX.

*Miracula quae in Novo Testamento narrantur nec mythicis figmentis ornata, cum Strauss et Renan, dicenda sunt, nec, si historice vera sint, ulla ratione possunt, iuxta Paulus aliosque, ad eventus mere naturales revocari.*

Post ea quae disputavimus in defensionem quorundam factorum N. T., operae pretium duximus generalem adicere disputationem de Christi et Apostolorum prodigiis, quae hodierni rationalistae potissimum impugnant. Hi vero diversa ratione solent procedere. Alii enim aperiatae falsitatis accusant sacros libros ac si pro veris falsa sive ex integro sive ex parte continent, et Evangelica prodigia tamquam *mythos*, vel *legendas*, ut aiunt, traducunt: ita citati Strauss et Renan, uterque in *Vita Iesu*, alter autem etiam in opere cui titulus: *Les Apôtres*, et cum eis alii plurimi ex incredulis et rationalistis. Alii vero magis subdole miraculorum fidem

(1) Qui plura de hac re legere cupit adeat prae ceteris Benedictum XIV *De servorum Dei beatificat. et beator. Canoniz.* l. IV., part. I. cap. 29, Calmet in *Dissertat. De daemonicis hominum corpora obsidentibus etc.* praefixa eius commentario in *Evang. Marci*, P. Perrone in *Tractatu de Deo creatore* Part. I, cap. IV, art. V.



evertere conantes narrationes quidem ut historice veras accipiunt, ipsa tamen facta subtilioribus et sophisticis interpretationibus in eventus mere naturales convertere satagunt: ita Paulus professor Heidelbergensis. Quamvis de horum systematibus et scriptis in Hermeneutica biblica fusior erit disputatio, praestabit tamen hic etiam breviter eos refutare quantum pertinet ad miracula in Novo Testamento ac praesertim in Evangeliiis narrata.

§. I. *Miracula Evangelica a mythicis figmentis immunia esse probatur contra Strauss et Renan.*

I. Primum ac praecipuum argumentum contra adversarios suppeditant ea omnia quae diximus in Thesi XV ad probandam scriptorum Novi Testamenti *veracitatem*. Quomodo enim fieri potuit ut auctores coaevi, immediati factorum testes, sinceri ac simplices, qui rerum quas testati sunt veritatem tanta animi constantia tenebant ut acerbissima quaeque ac mortem ipsam pro ea tuenda libenter passi fuerint, quomodo, inquam, fieri potuit, ut vel ipsi deciperentur vel alios decipere vellent aut possent, ac fabulas pro vera historia narrare? Quibus accedit ceterorum testimonium qui miracula Christi et Apostolorum pro veris habuerunt, quamvis et facile ea investigare possent, et ad id praestandum gravissimis causis impellerentur. Quae omnia et alia a nobis cit. loc. disputata satis superque essent ad praefatos auctores refellendos. Praestabit tamen nonnulla magis in specie ad eorum hypotheses et errores accomodata breviter adnotare.

II. Adversariorum systemata *gratuitis* imo *falsis hypothesis* inniuntur. 1° Totum Straussii systema in hoc supposito inniuntur, quod Evangelia aliique Novi Testamenti libri authentici non sint, sed post Apostolorum aetatem medio saeculo secundo conscripti. Hac enim redit totius Straussii systematis summa. Christi discipuli nihil scripserunt sed tantum de eius gestis ubique praedicarunt, omnibusque persuadere conati sunt illum esse Messiam a Iudaeis expectatum. Ex hac discipulorum praedicatione factum est ut paullatim Christo applicarentur mirabilia omnia quae de Messia Iudaei cogitare soliti erant, et Christi ipsius gesta sensim sine sensu in prodigia transformata fuerint, et ex Christo historico, Christus idealis et mythicus efformatus sit. Cum autem res eo devenissent

nonnulli ex Christianis Evangelia conscripserunt, in quibus poeticam illam et mythicam Christi vitam fideliter consignarunt. Quare totum adversarii fundamentum in ea suppositione continetur quod Evangelia diu post aetatem Apostolicam, et post gradatam et lentam mythorum formationem scripta fuerint; qua suppositione sublata, totum systema corruat necesse est, quemadmodum ipse auctor ingenue fatetur in opere citato Introd. §. XIII. Ibi enim huiusmodi sibi proponit difficultatem: Christianorum religionem et primitivam historiam in hoc maxime differre a fabulosis aliarum gentium narrationibus, quod istae ex incertis traditionibus et poetarum figmentis longo post tempore absque tabulis et testibus consarcinatae fuerint, contra vero Evangelica historia a coaevis et immediatis testibus, ipsa factorum aetate scripto mandata sit; cui difficultati respondet: « Huiusmodi argumentum esset revera *peremptorium* (von *entscheidendem Gewichte*) si probatum esset historiam biblicam a » testibus oculatis vel saltem a *coaevis* scriptoribus exaratam fuisse. » Fatente igitur Strauss, si probaretur Evangelia ab Apostolis et discipulis quorum nomina gerunt conscripta fuisse totum eius systema illico corrueret. Iam vero Apostolica Evangeliorum origo certissimis argumentis superius a nobis demonstrata est. Ergo concludere iam liceret nullum esse pondus systematis adversarii. Ea vero quae Strauss congerit ad authentiam Evangeliorum evertendam non sunt huius loci: sufficiat tantummodo animadvertere eum, neglectis prorsus antiquorum testimoniis, in internis Evangeliorum notis unice insistere, praecipue vero in antilogiis, quas putat se inter varias Evangeliorum narrationes deprehendisse, quo simul et recentiora ea esse et mythica demonstrare nititur. Quae quidem argumentandi ratio et logice praepostera est, et falsis assumptis inniuntur, ut ex rei natura et ex praecedentibus Thesis appareret. Et haec quidem de Strauss. Ad Renan autem quod spectat eius sententia circa genuinitatem Evangeliorum incerta et fluctuans appareret. In Introductione enim pag. XXXVII, ait quatuor evangelia *a primo saeculo descendere*, et *plus minus ad eos auctores pertinere quibus tribuuntur*; verum in aliis locis eorum genuinitatem multis modis extenuat, ita ex. gr. Matthaei Evangelium originarium solos Christi sermones continebat iuxta Renan, contra vero illud Marci sola Christi facta exhibebat; postea vero christiani ea simul componentes, et plura addentes ad hodiernam formam redegerunt (ib. XVIII, XXI, XXII etc.). De Evan-



gello vero Iohannis loquens dicit se in eam opinionem *proclivem esse* quae tenet sermones Christi in eo relatos non fuisse scriptos a Iohanne : ceterum hanc quaestionem parvi momenti esse dicit, quia semper certum est Evangelium quartum compilatum et ad praesentem formam redactum fuisse in sinu magnae Ecclesiae Asiae-ticae, quae Iohannis discipula erat, eumque repraesentabat (ib. XXV, XXXVI). En qua levitate homines isti de rebus gravissimis disputant!

2° Aliud adversariorum suppositum in principio quodam a priori constituto continetur, scilicet miracula esse impossibilia, quod Strauss aperte profitetur. Verum quam falsum et gratuitum hoc sit ostendunt philosophi, qui animadvertunt physicas leges non ita necessarias esse et in rerum essentia fundatas ut a divina omnipotentia immutari nequeant; unde sequitur non esse a priori pronuncian-dum miracula non accidisse, nec esse iuxta praeconceptam hanc opinionem historiae fidem negandam, sed ad testium veracitatem totam quaestionem unice revocandam. — Quod pertinet ad Ernestum Renan difficile est iudicare an miraculorum possibilitatem admittat. Ipse enim in citato opere pag. 41 expresse dicit : « Nos minime affirmamus: miraculum impossibile est, sed dicimus: nullum adhuc miraculum factum est, de quo certo constat. *Nous ne disons pas: le miracle est impossible, nous disons: Il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté.* » Verum, sibi contradicens Introd. LIII, LIII, ita pronunciat : « Interim nos hoc *principium criticis historicae* tenebimus, scilicet, narrationem prodigiosam et supernaturalem *uti ta-lem admitti non posse*, eam vel credulitatem, vel imposturam *semper* involvere, et historici officium esse ut illam interpretetur et sedulo inquirat quid veri quid falsi contineat. » Denique ipsa agendi ratio adversarii qua miracula omnia qua talia admittere recusat, evidenter ostendit idem praeiudicium de miraculi impossibilitate eius animo inhaesisse. De hoc tamen in secunda parte huius Theseos plura dicemus.

III. Aliud argumentum quod adversariorum systema evertit de-sumi potest ex ipsa *aetate* qua facta Novi Testamenti acciderunt. Et sane myhi seu fabulae ex ea aetate descendunt qua populi ad quos pertinent in statu veluti infantiae adhuc existebant, cum scilicet scientiarum et artium cultura carebant, memoriam rerum scripto consignare aut nesciebant, aut negligebant, sed phantasiae

et poeticae indoli unice fidentes suorum maiorum gesta aliosque eventus figmentis exornabant, et populari traditione conservabant: huc pertinent omnes Graecorum et Romanorum fabulae, quae ex prima et obscurissima harum gentium aetate descendunt. Mox vero ut populi cultiores effecti sunt et veram historiam et discere et posteris tradere coeperunt mythica figmenta cessarunt, ita ut nec nova excogitentur, nec antiqua saltem a doctioribus amplius crederentur. Ita ex. gr. frustra quaeres apud Graecos fabulas aetate Thucididis, Aristotelis, Plutarchi primum inventas, frustra etiam apud Romanos requires mythos saeculo Augusti enatos; contra doctissimos quosque utriusque gentis homines per illam aetatem invenies antiquas poetarum fabulas irridentes, vel sub earum cortice philosophicas veritates detegere conantes. Iamvero omnia illa quae in libris Novi Testamenti leguntur tempore Romani Imperii, aetate scilicet excultissima, et in plena scientiarum et historiae luce acciderunt, eaque ab innumeris omnium gentium hominibus, et a praestantissimis ingenii tamquam vera habita sunt. Immerito igitur et contra criticos historicae principia vellent adversarii eadem facta ad mythos revocare. Confirmatur hoc argumentum ex antithesi quam nostri scriptores instituunt inter facta quae narrant et gentium fabulas, seu mythos, ut ex pluribus Novi Testamenti locis apparet. Ita ex. gr. Paulus 1 Tim. I, 4 rogat Timotheum ut Ephesios doceret « *ne intenderent fabulis* » (μυθῶν); idemque in Capite IV, vers. 7 monet eundem Timotheum « *ineptas autem et aniles fa-bulas devita*: exerce autem te ipsum ad pietatem: » et clarius etiam Petrus rerum, quas praedicabat, veritatem gentium fabulis et poe-tarum figmentis opponens « non enim, inquit, *doctas fabulas* se-cuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis » 1 Pet. I, 16; ubi postea speciminis gratia affert factum transfigurationis Christi cuius ipse testis fuerat, et testimonium Patris de Filio ab ipso au-ditum « hanc vocem, ait, nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. » Igitur inepte prorsus existi-maretur scriptores N. T., qui doctas gentium fabulas tam aperte impugnant et proscribunt, novos mythos novasque fabulas iis substi-tuere voluisse, easque pro fundamento novae religionis assumpsisse.

IV. Accedit *nexus*, qui inter Evangelicas narrationes occurrit, ita ut factorum consequentiae exponantur et narrationes se mutuo



excipiant, et invicem lucem afferant, quod in mythicis figmentis non solet occurrere.

V. In primis vero recolendum est, quod iam supra in thesi XV notavimus, miraculorum Christi et Apostolorum veritatem esse *suppositum necessarium* ad Ecclesiae Christianae foundationem et propagationem explicandam, ita ut ea sublata primitiva Ecclesiae historia intelligi nequeat. Quomodo enim fieri unquam potuisset ut pauci homines Iudaei ex plebe profecti tam cito hominum mentes immutaverint, et non solum suis connationalibus quamplurimis, sed etiam immensae Graecorum et Romanorum multitudini, qui temporali potentia et humana scientia superbiebant, omnisque generis praeiudiciis detenti, ac vitiiis mancipati erant, quomodo, inquam, fieri potuisset ut iis omnibus religionem tam severam, tam difficilem, tam ab eorum sentiendi ratione alienam persuaderent, et ita persuaderent ut omnibus vitae bonis posthabitis pro ea mortem quoque libenter subirent, nisi vi miraculorum eorum mentem percellere, et assensum extorquere possent? Unde illud Augustini argumentum, quod si mundus sine miraculis ad Christum conversus fuisset, hoc longe maius esset prodigium, quam omnia illa quae de Christo et Apostolis in Novo Testamento narrantur (1). Non igitur Christiani miracula confinxerunt, sed iis certo cognitis et demonstratis crediderunt ut Christiani fierent.

#### §. II Miracula quae in N. T. leguntur

nullatenus possunt ad eventus mere naturales revocari.

Ad alteram Theseos partem iam veniendum est, qua dicimus, supposita historica veritate narrationum Novi Testamenti, impossibile omnino esse non agnoscere in iis miracula, et nonnisi per violentas et ineptas verborum et contextus detorsiones ad naturales eventus revocari posse.

I. Si quis attente et absque animi praeiudicio legat miraculorum Novi Testamenti narrationes statim animadvertet de rebus agi,

(1) Idem argumentum breviter et concinne proponit angelicus Doctor C. Gent. I. I, c. 6 hisce verbis: « Esset autem omnibus signis mirabilibus si ad credendum tam arduus, ad operandum tam difficilis, et ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus. »

quae vires naturae superant. Quis ex. gr. cum legat ad solum Christi imperium Lazarum e sepulchro vivum prodixisse, qui quartum iam diem ibidem iacuerat (Io. XI, 44), aut filium viduae Naimitidis cum ad tumulum efferretur e feretro vivum surrexisse (Luc. VII, 14, 15), aut paucos panes et pisces in Christi manibus ita multiplicatos fuisse ut pluribus hominum millibus satiandis sufficerent (Matth. XIV), aut ad meram Christi vocem, seu simplicem tactum modo coecis a nativitate visum restitutum, modo aegros ab insanabilibus ac diutinis morbis uno temporis momento liberatos, vel ad Apostolorum nutum mortuos suscitatos, et omnis generis infirmitates depulsas (Act. III, 6, 7, IX, 34, 40 etc.), quis, inquam, cum haec legat non statim persentiat ibi maxima prodigia narrari? In solo capite VIII Matthaei quatuor huiusmodi narrationes occurrunt quae ceterarum speciem esse possunt. Prima est de leproso qui ad Christum confugiens sanitatem petiit: « Domine si vis potes me mundare. Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens: *Volo mundare. Et confestim mundata est lepra eius* » (v. 2, 3). Altera est de puero centurionis cuius sanitatem hic a Christo postulaverat; Christus autem extra domum procul consistens respondit: « Vade et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora » (v. 13). Tertia est de socru Petri febricitante: « Et tetigit (Iesus) manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis » (v. 15). Quarta est de tempestate a Christo sedata ut periclitantibus in navicula discipulis succurreret: « Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes: qualis est hic quia venti et mare obediunt ei? » (26, 27).

Similia occurrunt in c. XIV, 18-21, 29, XXI, 9 et in aliis Evangelii passim. Quibus perpensis impossibile est candido lectori ex hoc dilemmate evadere: aut narrationes veras non esse, aut miracula in iis narrari: cum autem primum nulla ratione admitti possit, alterum certissime tenendum est.

II. Quae quidem clarius apparebunt, examine instituto in ea quae adversarii afferunt ut Christi et Apostolorum prodigia naturaliter explicent. Et primo quidem, ut de Paulusio dicamus, eius interpretandi ratio ita arbitraria, ita violenta est ut ab ipsis rationalistis plerisque reiecta fuerit. Ut enim prodigiosam factorum naturam auferat vim infert contextui, significationem vocabulorum pro lubitu immutat, circumstantias vel omittit vel addit omnemque



sermonem misere torquet ut invitum ac repugnantem ad suum sensum pertrahat. En pauca exempla. In suo *Manuali exegetico super tria priora Evangelia* explicans auctor factum Matth. XIV, 25 et seq. ubi Christus dicitur discipulis tempestate factatis subito apparuisse ambulans super mare, asserit sine dubio Iesum non proprie super aquas, sed iuxta aquas, idest in littore maris ambulasse. Item primum Christi miraculum conversionis aquae in vinum, quod a Iohanne (II, 11) *initium signorum* (σημείων) Iesu appellatur, affirmat aliud non fuisse quam nuptialem iocum, et vocem signum hoc loco nihil aliud significare quam actum humanitatis, et urbanitatis. Item in *Vita Iesu* part. 1, pag. 298 tractans de *probatica piscina*, et de aegrotis ibidem expectantibus aquae motum (lo. V) affirmat illam nihil aliud fuisse quam publicum *nosocomium*! Nec felicius est Renan quoties conatur Paulusium imitari in hoc explicandi genere. Sic ex. gr. loquens de multiplicatione panum et piscium a Christo facta Matth. XIV, duobus verbis ab hoc evidenti prodigio sese expedit: « Sancta illa turba, inquit (pag. 198), extrema frugalitate vixit in deserto: *pronum erat* miraculum in hoc agnoscere. » Splendidum Christi miraculum quo Lazarum a mortuis suscitavit nullo negotio explicatur: scilicet nihil aliud fuit nisi quaedam pia fraus, seu collusio inter Christum et Lazarum, qui se mortuum finxerit ad scopum confirmandae Christi missionis, et auctoritatis ei conciliandae (pag. 360 seq.).

Lepidus autem omnino est adversarius noster cum de charismate prophetiae loquitur toties in nostris libris commemorato, quod dicit nihil aliud esse nisi speciem quamdam dementiae, seu alienationis mentalis: « Angustae et imperfectae notionis (inquit pag. 433) quae nunc vigent circa dementiae, gravissime perturbant nostra iudicia in huius generis quaestionibus. Status quidam animi in quo homo loquitur sine conscientia eorum quae dicit, et cogitationes efformat independenter ab influxu et dominio voluntatis hodie vocatur alienatio mentalis, alias dicebatur prophetia, et inspiratio: » et ibidem: « Demens pene confunditur cum homine inspirato: hoc tantum est discrimen quod dementibus nunquam res e voto succedit, aut saltem hac usque nunquam potuit alienatio mentalis realem et efficacem influxum in humanitatis processum exercere. » Quis haec non irrideat? aut potius quis non irascatur novis istis doctoribus, qui huiusmodi nugis apertissima miracula labelactare praesumunt

et Dei omnipotentiam suo ingenio suisque viribus dimetiri audent? Quidnam de universa historia fieret si lectoribus liceret quidquid non aridet contortis et violentis interpretationibus in alienum sensum trahere? Sed de hac Scripturas exponendi ratione iterum sermo erit in Hermeneutica.

Difficultates quae ab adversariis afferri solent ex ignorantia qua laboramus virium naturalium, ex efficacia daemonum, ex difficultate vera miracula discernendi et alia huiusmodi, quoniam generatim omnium miraculorum possibilitatem vel credibilitatem impetunt, in praesenti quaestione omitti possunt. Inutile tamen non erit hic referre quae E. Renan contra miraculorum biblicorum certitudinem opposuit. Audivimus paulo ante eum veluti ex tripode pronunciantem nullum adhuc factum esse miraculum de quo certo constet: in pagina 41 introductionis rationem aperit, cur omnia prodigia incerta sint, quia nempe illis conditionibus carent quas ipse praescribit ut prodigium aliquod ut certum haberi possit.

Accipite huiusmodi condiciones ipsius auctoris verbis (1): « Fac, inquit, crastina die thaumaturgum quemdam in medium prodire qui declarat se posse ex. gr. mortuum ad vitam revocare. Quid fieret? Illico collegium physiologorum, physicorum, chymicorum, hominum in *critica historica* exercitatorum deputaretur, qui cadaver seligerent, certis argumentis probarent hominem vero mor-

(1) En *textum* auctoris: « Que demain un thaumaturge se présente avec de garanties assez sérieuses pour être discuté; qu'il s'annonce comme pouvant, je suppose, ressusciter un mort; que ferait-on? Une commission composée de physiologistes, de physiciens, de chymistes, de personnes exercées à la *critique historique* serait nommée. Cette commission choisirait le cadavre, s'assurerait que la mort est bien réelle, en désignant la salle où devrait se faire l'expérience, réglerait tout le système de précautions nécessaires pour ne laisser prise à aucun doute. Si dans telles conditions la resurrection s'opérait une *probabilité presque égale à la certitude* serait acquise. Cependant, comme une expérience doit toujours pouvoir se répéter, que l'on doit être capable de refaire ce que l'on a fait une fois, et que dans l'ordre du miracle il ne peut être question de facile ou de difficile, le thaumaturge serait invité à reproduire son acte merveilleux dans d'autres circonstances, sur d'autres cadavres, dans un autre milieu. Si chaque fois le miracle réussissait, deux choses seraient prouvées: la première c'est qu'il arrive dans le monde des faits surnaturels; la seconde c'est que le pouvoir de les produire appartient, ou est délégué à certaines personnes. Mais qui ne voit, que jamais miracle ne s'est passé dans ces conditions-là? »



tuum esse, aulam designarent in qua experimentum exhibendum sit, ceterasque cautelas adhiberent, quae necessariae sunt ad quodlibet dubium amovendum. Si in huiusmodi adiunctis resurrectio mortui accideret *probabilitas* fere certitudini aequalis haberetur de prodigio. Attamen, quoniam *experimentum* semper ad libitum repeti potest, et qui semel aliquid facere potuit, potestatem necessario habere debet idipsum iterum efficiendi, et cum de miraculo agitur non potest esse quaestio de facili vel difficili, thaumaturgus ille rogaretur ut prodigium suum repeteret in aliis circumstantis, super alio cadavere, in medio diverso. Si singulis vicibus miraculum eveniret duo essent demonstrata, nempe 1° in mundo facta quaedam supernaturalia accidere: 2° potestatem ea patranda ad quasdam personas pertinere, vel iis esse delegatam. Verum quis non videt nullum unquam prodigium cum huiusmodi conditionibus patratum fuisse? » Optime quidem! Ergo quoties Deus Omnipotens prodigium patrare vult, praeviam monitionem mittere debet universitatibus et scientiarum academiis, ut coram doctis viris ex earum gremio delectis suam virtutem experiatur. Secus enim opus illud utpote incertum inutile foret ad finem ob quem patratum! Nec subiectum quidem miraculi ipsius arbitrio relinquetur, sed a doctis illis deputatis assignandum erit! Histrionum et circulatorum sunt ista, non autem Dei Optimi Maximi qui *omnia quaecumque voluit fecit in coelo et in terra*. Sed omnia etiam horum omnium impietate, videte quam iniquae sint conditiones ab adversario appositae, et quam sint omnia absurditatibus et contradictionibus plena. Requiritur iudicium virorum doctorum in scientiis physicis, et etiam in *critica historica* (quasi de monumento aliquo antiquitatis ageretur, et non de facto praesenti iudicando) ut mortui resurrectio certo constet. Sed quorsum, aut quo iure? Nonne aliquem vere mortuum esse certissime omnibus apparet ex quotidiana experientia, absque ullo doctorum hominum iudicio? Nonne certissima erat mors Lazari quem quatuor iam dies defunctum et in sepulchro iam foetentem non sorores modo, sed totus Bethaniae pagus sciebat? Si vero mors alicuius absque peritorum iudicio certo innotescere potest, cur non erit aequae certa resurrectio, cum nempe homines illum quem mortuum certo noverant surgentem viderint, et non uno tantum vel altero momento sed diu post ambulantem, loquentem, convivio accumbentem, ut in Lazaro factum est, quotidie aspi-

cient? Nihil autem absurdius dici potuit iis quae adversarius addit de prodigiosi operis repetitione. Imprimis enim si primum factum certum est cur eius repetitio exposcitur? At enim, inquit, prioris facti *probabilitas* tantum habetur: sed quare non certitudo? Si enim cum omnibus illis conditionibus certitudo non acquiritur, nullum factum certum erit, quod communi hominum sensui repugnat. Deinde illa repetitionis possibilitas et necessitas contradictionem involvit: si enim de vero miraculo agitur, hoc sola divina virtute, et ad solum Dei natum perfici potest; ideoque falso assumitur thaumaturgum qui semel prodigium operatus est necessario facultatem habere illud repetendi si velit: scilicet confundit noster philosophus supernaturalem et extraordinariam Dei Providentiam, quae hominum ministerio aliquando utitur ad miros effectus producidos, cum *naturali virtute* vel *habitu* homini inhaerente, qui ad eius libitum erumpere potest in actum. Notanda est etiam hominis vafrities qui *scientias humanas* ubique ad coelum extollit, et exinde occasionem sumit fidei veritates impugnandi. Hac arte nunc passim utuntur omnes fidei et religionis osiores; sciunt enim nostra hac aetate vix aliud in pretio haberi quam scientias physicas, seu naturales, quas proinde a proprio suo fine detortas adversus Evangelium et adversus Christum *Dei sapientiam* perpetuo obrudunt, ut facilius incautos decipiant. Miseri, quibus sua superbia excoecatis datum non est scire *supereminentem scientiae charitatem Christi*, in quo sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*. Nos vero in hac charitate firmati constanter devitemus huiusmodi *oppositiones falsi nominis scientiae* (1 Tim. VI), ac certissime tenentes veritatem veritati repugnare nunquam posse, quidquid scientiae ac eruditionis in nobis est non in nostram aliorumque perniciem, sed ad illius honorem unice conferamus *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*.



THESIS XX.

*Admissa historica librorum N. T. auctoritate, Divina Christi et Apostolorum missio, ideoque Christianae religionis veritas ac divinitas, necessario admittenda est.*

*Praenotanda.* — Huiusmodi Thesis veluti corollarium omnium praecedentium habenda est. Si enim libri N. T. historice certi ac veraces sunt, certum est Christum Dominum eiusque Apostolos ea omnia fecisse et docuisse, quae ibidem referuntur; si autem haec certa sunt necessario exinde sequitur eos divina legatione functos esse, divinamque religionem in terris constituisse. — Fatemur quidem veritatem Christianae religionis etiam independentem a libris N. T. validissimis argumentis probari posse quia sunt ex. gr. rapida et mira eiusdem propagatio, ac per tot saecula duratio ac stabilitas non obstantibus gravissimis internis ac externis impedimentis, numerus ingens martyrum qui sanguinem pro eius confessione effuderunt, aliaque huiusmodi quae *motiva credibilitatis* dicuntur, sed hic ex solis libris N. T., quorum historicam auctoritatem huc usque demonstravimus, argumenta proferemus quae satis superque sunt ad rem evincendam. Immo nec omnia proferemus argumenta quae aliquo modo ex nostris libris erui possent, puta ex memorata mirabili propagatione Christianae religionis, quae sufficienter innotescit etiam ex sacris libris, vel ex sublimitate doctrinae Evangelicae, de qua alias loquuti sumus, sed unice insistemus in miraculis et vaticiniis quae constituunt praecipuos characteres, et signa operum divinorum. Thesim itaque demonstrabimus 1° ex miraculis Christi et Apostolorum: 2° ex vaticiniis: 3° speciatim ex Christi Domini resurrectione, quae simul et maximum prodigium fuit, et clarissimi vaticinii implementum, ac tantam habet cum tota Christi et Apostolorum missione connexionem ut vere potuerit Paulus affirmare (1 Cor. XV, 44): si Christus vere a mortuis non surrexit vanam fore fidem nostram.

S. I. Christi et Apostolorum miracula  
divinam eorum missionem ostendunt.

Christum Dominum vera miracula patrasse, et quidem numero plurima, indole stupenda, evidentia ac certitudine omni exceptione maiora superius demonstratum est. Apostolos etiam mirabilium operum auctores fuisse ibidem innuimus, et ex lectione Actorum Apostolicorum evidenter innotescit, ubi insignia quaedam prodigia ab eis patrata narrantur (III, IX, 33, 40, XX, 9-12) eaque magno numero fuisse innuitur II, 43 et alibi, ut cum dicitur (V, 13) Ierosolymis fideles solitos fuisse *eiicere in plateas infirmos et ponere in lectulis et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis*; et additur *omnes aegros ad Apostolos adductos sanatos fuisse* (v. 16); vel cum narratur (XIX, 11, 12) quemadmodum Ephesi: *« virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur »*. Hinc etiam factum est ut Iulianus apostata S. Paulum ut insignem *magum* traduceret (apud S. Cyrillum I. III contr. Iulian.) itemque Hierocles in suo *Philalethe*, quem refutavit Eusebius, Paulum, Petrum ceterosque Apostolos *magos* appellaret, quia nempe eorum prodigia negare non poterant. Cum igitur haec certa sint ita argumentamur:

I. Cum quis novam religionem annunciat, et tamquam Dei legatus haberi vult, miracula ab eo patrata *per se* cedunt in confirmationem divinae eius missionis, et religionis ab eo praedicatae. Atqui Christus et Apostoli novam religionem praedicantes tamquam Dei legati haberi voluerunt. Ergo eorum prodigia divinam eorum missionem probant.

Ratio maioris ex conceptu Divinae providentiae repetenda est. Cum enim miracula nonnisi ex Dei virtute proficisci possint, qui plura et stupenda miracula passim perficit is necessario ab hominibus habetur ut Dei instrumentum, et a Deo specialiter probatus. Cum igitur Deus non possit homines in errorem necessario inducere in negotio religionis, nec fraudem testimonio suo solemniter



confirmare, hinc sequitur necessario praedicaforem illum vere a Deo missum esse, ac vere divinam religionem annunciare.

Quod autem revera Christus et Apostoli se ut Dei legatos prodiderint dum evangelium praedicarent ex apertis eorum testimoniis apparet. Sane Christus non solum se a Deo missum passim affirmat, sed et Dei filium se vocat. Luc. IV, 18 sibi applicat Isaiae verba: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me etc. » Io III, 17: « Non enim, inquit, misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: » et in cap. VI, 38: « Descendi de coelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me: » et paulo post (v. 58): « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me: » et in cap. seq. v. 45 admirantibus Iudaeis eius doctrinam aiebat: « Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, » et clarissime in c. XVII, 3: « Haec est autem, inquit, vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. » Item Petro dicenti: *Tu es Christus filius Dei vivi*, respondit: « Beatus es Simon Bar-Iona quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. » Similia occurrunt in evangelis passim. Apostoli etiam se ut Dei legatos traducunt: « Pro Christo legatione fungimur, inquit Paulus 2 Cor. V, tamquam Deo exhortante per nos: » et in 1 Cor. IV, 1: « Sic nos, inquit, existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. »

Ex hisce itaque concludendum est miracula omnia a Christo et Apostolis patrata necessario et sponte sua cedere in confirmationem divinae eorum legationis, et, quoad Christum, divinae eius filiationis, etiamsi non fuissent ad hunc finem expresse patrata. Hinc recte Iohannes postquam Christi gesta, praesertim miracula, narrasset ita concludit: « Haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius » (Io. XX, 31); Christi enim historia hoc revera probat. Marcus autem de miraculis Apostolorum generatim loquens ait Deum per ea confirmasse Apostolorum praedicationem: « Illi autem, inquit, profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis » (Marc. XVI, 20).

II. Verum crescit argumentum si consideremus magnam horum

prodigiorum partem eo fine a Christo et ab Apostolis expresse patrata fuisse ut divinam suam missionem hominibus probarent, ac proinde invictum, et evidens eiusdem argumentum praebere, cum Deus non possit in patrocinium erroris et fraudis operari. Et ad Christum Dominum quod attinet, insignis est locus Luc. VII, 18-22 ubi cum Iohannes Baptista duos discipulos ad Iesum misisset ut eum de divina eius missione interrogarent illis verbis: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Christus coram eis « multos curavit a languoribus et plagis, et spiritibus malis, et coecis multis donavit visum. Et respondens dixit illis: euntes renuntiate Iohanni quae audistis et vidistis: quia coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. » Quibus verbis miracula a se patrata universim adducit tamquam argumentum ad ostendendum se esse Christum a Iudaeis expectatum, et a Deo missum ad salutem mundi. Eodem modo se gessit Christus cum Lazarum a mortuis suscitavit; ait enim: « Pater gratias ago tibi quoniam audisti me; ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Haec autem cum dixisset voce magna clamavit: Lazare veni foras » (Io. XI). Et clarissime (Io. V, 36) idem affirmat hisce verbis Iudaeos redarguens: « Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: » eadem recurrunt Io. X, 33-38 et alibi. Ad Apostolos autem quod attinet primum Petri et Iohannis prodigium (Act. III) evidenter ab eis patratum est ad finem demonstrandi divinam suam missionem. Nam iubent claudum surgere *in nomine I. C. Nazareni*, eoque sanato, statim ex hoc prodigio demonstrare satagunt Iudaeis, Christum quem ipsi crucifixerant esse Messiam, et ab eo unice salutem omnium esse repetendam (Act. III, 6-26, IV, 8-12). Paulus etiam (Rom. XV, 18, 19) dicit miracula esse apostolatus sui certissima signa; et alibi affirmat praedicationem suam fundari non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis (1 Cor. II, 4), idest, miraculorum. Et haec de miraculis.



## §. II. Idem probatur ex vaticiniis eventu confirmatis.

Cum solus Deus qui futura contingentia intuetur auctor prophetiae esse possit, vaticinia non secus ac miracula veritatem religionis demonstrant.

Nihil hic dicemus de vaticiniis in veteri Testamento prolatis de Christo eiusque Ecclesia, ex quorum implemento luculentissimum efficitur pro Christiana religione argumentum, sed de iis tantum loquemur quae in N. T. ipse Christus protulit, quaeque omnia ac singula eventu confirmata sunt.

Christus itaque multa praedixit futura de seipso, de Apostolis, de Ecclesia a se fundata, et de Iudaicae gentis sorte, quae a Dei vel hominum arbitrio omnino pendebant, ideoque naturaliter praevideri non potuissent, eaque tam claris verbis praenunciavit, tam accurate definitis factorum circumstantiis, ut nullo modo ambigua vel vaga dici possint; quae tamen omnia ea praecise ratione, eoque tempore quo futura praedicta sunt reapse evenerunt. Ergo etc.

1° Quod pertinet ad vaticinia Christi Domini de seipso clarissima sunt ea quae protulit de sua passione, morte ac resurrectione cum omnibus adiunctis etiam minutis, quae a libera hominum voluntate et malitia unice pendebant: « Ecce ascendimus Ierosolymam (inquietabat duodecim Apostolis) et filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget; » (Math. XX, 18 seq.) « et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum » (Marc. X, 34). Similia occurrunt Math. XVI, 21, Luc. XVIII, 31 seqq., Io. III, 14. — Quae quidem praedictio in omnibus suis partibus eventu confirmata est, quemadmodum ex narratione omnium Evangelistarum de Christi Domini passione luculenter apparet.

2° Quod pertinet ad discipulos, multa Christus de iis praedixit omnino contingentia ac libera; ex. gr. eorum fugam: « Ecce venit hora (inquit Io. XVI, 32) et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis; » negationem Petri, non obstante eius protestatione: « Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis » (Math. XXVI, 34, Mar. XIV, 30, Io. XIII, 38); proditionem Iudae: « Amen dico vobis,

quia unus vestrum me traditurus est... Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit: numquid ego sum, Rabbi? Ait illi (Iesus): tu dixisti » (Math. XXVI, 21-23). Quae omnia prout ab eo praedicta fuerant paulo post acciderunt, nam Iudas quidem Iscariotes cum iam de tradendo magistro convenisset cum principibus sacerdotum (Math. XXVI, 14, 15) mox in hortum Gethsemani « venit, et cum eo turba multa cum gladiis, et fustibus missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi » (ib. 47 seqq.) a quibus comprehenso Iesu: « Discipuli omnes, relicto eo fugerunt » (Math. XXVI, 56); mox autem Petrus eum « negavit coram omnibus » atque iterum ac tertio cum iuramento affirmavit « quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit » (ib. 69-74). Praedixit praeterea Christus Spiritum Sanctum paulo post suam ascensionem super discipulos effusum iri (Io. XIV, XVI, Act. I, 4, 5) quod revera in die Pentecostes accidisse referi liber Actorum (c. II). Item persecutiones et opprobria etiam in specie Apostolis praenunciavit: « Tradent enim vos (inquit Math. X) in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad reges, et ad praesides ducemini propter me; » et iterum Io. XVI, 2: « Absque synagogis facient vos: sed venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo; » et rursus Math. XXIV, 9: « Tunc tradent vos in tribulationem et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum: » quae omnia adamussim impleta fuisse Apostolorum historia testatur.

3° De Ecclesia autem a se fundata non solum Christus praedixit persecutiones quibus affligenda erat; sed et triumphos, stabilitatem et per totum orbem propagationem, quae quidem nulla humana ratione praenosci poterant; tot enim ac tam gravia novae religioni obstacula undique parabantur, ut iuxta humanae prudentiae iudicium de eius universali diffusionem ac indefectibilitate valde dubitandum videretur: hisce tamen non obstantibus Christus absolute et absque ambagibus aiebat (Math. XXIV, 14): « Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; » et apud Iohannem (XII, 32): « Et ego, inquit, cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum: » et Math. XVI, 18, constituto Ecclesiae visibili fundamento praenunciavit adversus eam nunquam praevalituras esse inferorum portas; item Math. XXVIII, 20 pastorum regimen, et magisterium, adeoque integram atque incor-



ruptam ecclesiasticam societatem usque ad finem mundi duraturam :  
« Ecce ego vobiscum (pastoribus Ecclesiam docentibus et gubernantibus) sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. »

Haec autem omnia quam bene impleta sunt in Christi Ecclesia! Quam cito Evangelium usque ad barbaras gentes, et ad remotissimas mundi plagas delatum est! Quot Ecclesiae ubique constitutae! Quot et quam diros adversariorum impetus, Iudaeorum, Paganorum, haeticorum, politicorum Ecclesia sustinuit, et sustinet, quin umquam potuerit deiici, aut superari! Profecto coniuratae inferorum portae nihil aliud efficere potuerunt nisi triumphos, et palmas Ecclesiae parare, eiusque divinam originem illustrioribus in dies argumentis confirmare.

4<sup>o</sup> Nec omittenda sunt Christi vaticinia de Iudaeorum reprobatione, dispersione, et de Ierosolymae excidio, templique ever- sione, quae quidem eo tempore praedicta sunt quo nulla proba- bilis ratio ea praevidendi suppetebat, et tam claris verbis in suis omnibus adiunctis praenunciata, ut nihil ambiguum vel minus de- finitum relinquunt. Quodam die, narrata parabola de agricolis infi- delibus coram principibus sacerdotum, et pharisaeis concludebat Iesus terribili hoc vaticinio: « Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius » (Matth. XXI, 43) quod etiam alias variis modis insinuavit et praedixit. Huius vaticinii implementum historia Iudaeorum prodit, ex qua constat eos per- tinaciter Christum eiusque Evangelium repudiassse, eaque de causa reprobatos reiectosque fuisse, et in eorum locum Gentiles in Ec- clesiam undique confluisse. De templo autem, et urbis excidio il- lustre admodum vaticinium edidit (Matth. XXIV, Mar. XIII) cum paulo ante passionem suam e templo egrediens, et mirantibus discipulis, eique ostendentibus templi structuram atque elegantiam: « Ipse autem respondens dixit illis: Videtis haec omnia? Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat; » postea vero multa addit de extremis calamitatibus quibus Ierusalem affligenda erat, quae quidem brevius expressit cum ad montem Calvariae pergens conversus ad pias mulieres eas compellavit his verbis: « Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in qui- bus dicent: beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt » (Luc. XXIII, 28, 29), et addit Mar. XIII, 19:

« Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient; » denique in eius triumphali ingressu in urbem, multas circumstan- tias eius obsidionis, et excidii speciatim designat: « Videns (enim) civitatem flevit super illam dicens: quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscon- dita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te un- dique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non co- gnoveris tempus visitationis tuae » (Luc. XIX, 41-44). Addit etiam Luc. XXI, 11: « Terroresque de caelo et signa magna erunt; » item populi excidium, et dispersionem: « Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gen- tibus donec impleantur tempora nationum » (ib. v. 24). Quam plene haec omnia implementum suum habuerint docet historia belli Ie- rosolymitani quam coaevi profani auctores praesertim Iosephus Flavius in libris *De Bello Iudaico*, et Tacitus histor. l. V, ex pro- fesso tradiderunt. Ex hac enim scimus Vespasianum cum Iudaeorum gentem subdere decrevisset, ingenti exercitu Palaestina in- vasisse, atque ita rapide urbes reliquas ac oppida Iudaeorum oc- cupasse ut ingens Iudaeorum multitudo qui Ierolimam confluerant ad festum azymorum « de repente bello circumdati ac conclusi fuerint » (Ios. Fl. B. Iud. l. VII, c. 17). Ut autem facilius ad de- ditionem fame adigerentur Titus Vespasiani filius, cui Ierolimae expugnatio ab imperatore commissa fuerat, in illud venit consilium ut muros circa urbem extrueret, ad quamlibet cum circumstante regione communicationem interrompendam, idque operis tanta alacritate ab universo exercitu perfectum est ut, teste Iosepho (op. cit. l. VI, c. 13), novem et triginta murorum stadia cum tre- decim castellis trium dierum spatio extracta fuerint: quo factum est ut Ierusalem revera « *circumdaretur vallo et undique coangu- staretur* » iuxta Christi prophetiam. In hisce rerum adiunctis, in immensa hominum multitudine, quam Eusebius, post Iosephum, ad tricies centena millia ascendisse affirmat, consumpta annona, fames dire ingravescere coepit, quae brevi in tantum excrevit ut multa hominum millia absumperit, et mater quaedam carnibus filii vesci non exhorruerit, ut fuse narrat Iosephus l. VII, c. 8, et Eusebius